



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De velocitate abstrahendi se à malis. Cap. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

labore, vel inopia, vel alia difficultate pigritantur dominis suis, pro parua mercede, per longa terrarum spatia, etiã in periculo mortis obedire, gratum habentes, si pro gratiarum actione, eum redierint, non magnas alapas & vituperia à dominis receperint: nihil de incommodis infirmitatis vel domus, vel hospitij cogitantes. Claustrales verò serui delicati sunt & elati; parum volunt laborare, & bene procurari: & cum illi dominos suos debite honorent, ipsi volunt dominis suis in omnibus esse quasi æquales, voluntate propria pro lege vtentes.

Prov. 29, 21 Proverb. Qui delicate seruum suum, id est, corpus suum nutrit, ab infantia scilicet nutritus, postea illam sentiet contumacem: vel quia piger erit ad bona, vel ad peccatum procliuor, maximè carnis. Ex consuetudine otij homo mollis & piger efficitur, vt nihil velit pati vel facere nisi quod liber. Econtrà fidelis seruus ita debet habitare semetipsum & mansuafacere, sicut ioculator catulum suum: vt statim cum iubetur saliat de lecto ad orationes nocturnas, & quasi ad nutum rationis sit promptus ad quæque spiritualia exercitia, quæ vel obedientia iusserit, vel charitas fraterna requirit, vel deuotionis studio apta sunt, vel cuiuslibet alterius virtutis.

De velocitate abstrahendi se à malis.

CAP. XV.

II.
Exercit.
Mala celeriter repellenda.

SECUNDUM est, vt sicut ad agenda bona sagilis, ita sit ad abstrahendum se velox à quibuslibet malis, statim cum sentit se aliquo eorum interius pulsari, vel exterius occupari, scilicet ab otiosis verbis, à iocis, ab actionibus infructuosis, & maximè à cogitationibus vanis, & affectionibus vitiosis, & carnalibus

concu-

concupiscentiis, quæ nec ad horam debemus in corde permittere morari, ne offendamus Deum, & sanctos Angelos præsentis, & conscientiam sordidemus, & pœnam mereamur, & bona quæ possemus cogitare & agere, interim negligamus. Sic Abraham quandoque Gen. 12, 14 Deo iubente sacrificia offerens, descendentes supra ea volucres ad dilacerandum vel scedandum sollicitè abigebat. Et nos ne aliquando in Dei conspectu appareamus vacui, quandoque Quinque sacrificia nostras sacrificia ei offerentes, scilicet bonæ voluntatis, bonæ actionis, bonæ locutionis, sacræ meditationis, & piæ affectionis, volucres malorum cogitationum & affectionum statim abigere debemus, ne ea nobis dissimulâtibus aliquatenus maculent, & Deo ingrata efficiant, & nobis inefficacia ad meritum & spirituale profectum. Nec solùm carnales & turpes cogitationes statim debemus abigere: sed etiam vanas, & amaras, & gulosas, & similibus vitiorum simulacra in cordis nostri templo imaginando non pingamus. Theatra & tabernæ solent secularibus & ludicris fabulis depingi: templa autem sacris historiis & mysticis picturis decorari. Ex qualitate picturæ, consideratur qualitas domus, & domini in ea morantis. Aliquando superbia pingit sibi prælaturas & dominia, famulorum obsequia, & quæque alia pomposa. Vana gloria pingit sibi quoslibet ornatus, & vnde posset laus hominum acquiri: aliquando etiam sanctitates & miracula, prophetias, & magnas deuotiones, & ædificatorias prædicationes, & multa similia ex quibus admiratio oriatur hominibus, & sibi latè laudatio & reuerentia exhibeatur. Sic inuidia fraudes & detractiones; ira rixas & contentiones, bella & conuicia mouet, & pugnat cum absentibus, & lassatur à nullo fatigatus. Sic

aua-

auaritia pecunias, & diuersa ædificat, & destruit, & acquirit. Qui ergo bonum hospitem Christum non vult effugare de hospicio cordis sui, inimicos eius, scilicet vitia secum non recipiat. Quæ enim conuētio Christi ad Belial? Et quis consensus templo Dei cum huiusmodi idolis? Si citius eiicis hostem de vrbe tua, securus eris. Si tardè obitas ei, inualefcit contra te, & capiet vrbem, & occidet te. Sic de cogitationibus malis. Curiositas, quæque pulchra & curiosa depingit. Gula mensas amplas, & varios ciborum & potuum apparatus. Luxuria etiam quæ sibi congruunt fantastice depingit. Hæc sunt idola quæ Deus Ezechieli intra parietem templi depicta ostendit, quæ etiam abominaciones appellauit. Hæc de templo cordis nostri sollicitè detergamus, ne fiamus Deo abominabiles, sicut & illa sunt. Ierem. Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ.

2. Cor. 6,
14.

Ezec. 8, 10

Jer. 4, 14

De pace cordis.

CAP. XVI.

III.
Exercit.
Cor paci-
ficum sem-
per haben-
dum.

1. Jac. 5, 10

TERTIVM est, vt semper cor pacificum cum omnibus habere studeamus. Quod consistit in duobus, vt nulli malū facere vel cupere studeamus, vt si quis nos in aliquo offendat, patientiæ scuto vtamur. In medio prælij versamur, & difficile est quin sæpe iacula super nos mittatur tam verborum acutorum, quam factorum nobis molestorum, & à superioribus nostris durorum imperiorum & increpationum, quibus clypeum patientiæ opponere debemus, quem clypeum, vt impenetrabilior sit inimici iaculis, munire debemus sanctorū martyrum & aliorum bonorū exēplis, quasi pelibus animalium mortuorum. Iacobus: Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimitatis, labo-